§ *190. Hisce ?ergo?* [E]. — *proposui brevius haut mihi facere licuerit quod iam cogito.* L² u. t. nisi quod add. *id* ante *quod.* Etiam post *enim* add. *id* sed post inductum. — *an alius... an me ... an mortuo.* Corr. L². — *occuparet* (sed *e* ex *i* factum). Corr. L³. — *effecerit.* L² *al. efficiat.* — *digerat.* L² *al. dirigat.* — *cuique.* Corr. L². — *ded'at.* Corr. L². — *atque obscuram.*

§ *191. carpentem.* Sed *r* add. L². — *repl'e.* L² *repleri.* — *istam .... scientiam.* Utrumque *m*, del. L². — *equitem R.* L² *al. equidem hominem.* — *omni*-(hoc add. L²)*um* (add. L³) *acutissimum.* L² *-o.* — *Caculeonem.* Sed *a* erasum. — *de his.*

§ *192. Omnia sunt enim* cum s. transp. — *ni congressione.* Corr. L². — *litteris.* Sed *t*¹ exp. — *a voluminimus.* Post *a* rasura et s. s. *t.* — *magis.* Corr. L². — *?contineretur?* [E]. — *Eadem enim clara* (corr. L²) *sunt primum pluribus.*

§ *193. ?Accidit.* Corr. L² ? [E]. — *percip'e.* Sed *e* eraso *i* scr. L². — *arbitrentur.* Corr. L². — *que*- (ex *a*) *dam .... suavitas* cum s. transp. — *Nam sive* (L² *al. si non*) *quem aliena studia delectent* (L² *al. tant*). — *est in omni.* — *quod.* L² *al. quia.* — *vetustas prisca.* — *sive quis* (L³ *q*) *civili* (una littera erasa L² *al. -lem.*) *scientia* (L² *al. -am*). In marg. add. L² *contempletur*, quod L³ exp. — *omnibus civitatis* add. s. s. L². — *ac partibus XII tabulis* add. in marg. L². — *videbit.*

L^2 add. *is*. Post *civili* erat locus vacuus, quem L^2 explevit verbis *et legibus* . . . *praemiis*. Quae deinceps secuntur sunt ex II, 60 inde a verbis *scripserunt eqs*. Reliqua primi libri pars deest*.

* Praeter cetera compendia, quae vulgo nota sunt, usus sum hoc in indice nota *u. t.* i. e. ut in textu Pideritiano est.

II. ADNOTATIONES

§ 2. Reponendum est quod ex Lgg. boni omnes et Gu. 3 habent *plenus*. In 32 est quidem *plenissimus*, sed in rasura, ut hic quoque prima manus *plenus* scripsisse videatur.

§ 5. *adolescentulis* habet 32, sed *ulis* in ras., ut initio *ibus* scriptum fuisse videatur; quod libenter reponerem, nisi in secundo quoque libro (§ 76) *pueros aut adulescentulos* legeretur.

§ *6*. *in omnibus rebus* 32, *artibus* ceteri codices. Illud per se optimum est et hic fortasse praeferendum. Similiter enim infra (§ 12) *ut in ceteris (=in ceteris REBUS) id maxime excellat..., IN DICENDO autem etc.*

ib. *permultos ET excellentis* 32, quod « ex errore fluxisse *permultos* et *excellentis* coniungentium » iudicat Ell. Fortasse tamen *et* ab ipso est Cicerone abundanter positum ex communi Graecorum Romanorumque consuetudine, qua adiectivum *multus* (πολύς) cum aliis adiectivis particula copulativa iungitur.

§ *8*. *qui* ante *convertat* addidit in 32 corrector simili errore inductus, quo Adlerus ad II § 84, ubi haec leguntur *deducendi sunt ad eos qui haec docent; omnia iam explicata et perpolita adsequentur*, post *docent* fortasse *et* exci-

disse adnotat. Ut enim ibi *deducendi sunt*, ita hic *convertat* imperativi locum obtinet; iam imperativum pro *si* cum indicativo futuri exacti saepe poni nemo ignorat. Cf., si tanti est, Verr. II § 151 *da mihi hoc*; *iam tibi maximam partem defensionis praecideris* = si dederis, praecideris; III § 173. Cluent. §§ 147. 160 de domo §§ 47. 123 de Orat. II § 132. Liv. 5,51,5. 6,18,7. 9,3,12 al. Est igitur hic *convertat* i. q. *si converterit* et *circumspiciat* i. q. *si circumspexerit*. Editores dum additum *qui tuentur*, non animadvertunt, si pronomen retineatur, scribendum esse *converterit* et *circumspexerit*. Nam converso demum animo ad artes et circumspectis qui in eis floruerunt oritur illa iudicanti facultas, de qua agitur.

ib. *quanta sit oratorum* etc. Elegantior haec verborum collocatio, quae extat in 32, praeferenda est vulgatae.

§ *9. elaborasse* 32 aperto errore pro *elaborassent*, quod legitur in ceteris bonis quodque reponendum videtur. Ut enim recte dicitur *sunt qui elaborarint*, ita dicendum est *fuerunt (fuerint) qui elaborassent* i. e. omni ex parte pervestigassent penitusque *scirent*. Tum vero scribendum *comprehenderent*.

§ *12. ceterarum studia artium* 32. Ceteri *artium studia*. Valde dubito an *artium* invectum sit postquam *rerum* ante *studia* exciderit. Certe infra *in ceteris* legitur et § 13 *ceteris inservire*. Similiter *musicis* §§ 10. 187. III 79, ac *musicis rebus* II 66. Cf. quae ad § 6 notavi.

§ *13. eloquentiA princeps* 32, quod vulgato certe non deterius.

§ *14. tamen, quantum . . . poterant, consequebantur* 32. Verisimilius est *tamen* propter insequens *quantum* in *tantum* abisse quam contra.

§ *16.* quae de pronomine *quandam* ante adiectivum posito Sorofius observat, confirmantur eo quod in 32 *quandam magnitudinem* legitur, quam verborum collocationem propterea praefero quod non adiectivi, sed substantivi notio hic efferenda est.

§ *21. videtur*, quod recte Sorofius recepit, est etiam in 32.

§ *30. coetus,* quamvis etiam a 32 absit, genuinum videtur. Quae enim hic dicuntur, mox verbis *Quid enim* eqs. copiosius explicantur atque ita ut verba verbis respondeant. Itaque ei quod est *tenere hominum COETUS* respondent illa *ex infinita MULTITUDINE hominum existere unum* eqs; ei vero q. e. *MENTIS adlicere* illa *aut tam iucundum COGNITU atque auditu quam* eqs; ei denique q. e. *VOLUNTATES impellere* eqs. illa *populi MOTUS converti.* Ex his etiam apparet illa quae media sunt *haec una res... dominata est* ab inepto homine alienum in locum invecta esse, quibus quae ratione conexa sint vi divellantur. Fons interpolationis est illud Antoni (II § 23) *qui* (usus dicendi) *in omni pacata et libera civitate dominatur.*

§ *32. vel provocare integros* etiam 32. Torquet adhuc hic locus sine causa viros doctos, quamvis apertum sit *integros* ex eo quod est *integer* ortum esse, cum id librarii ad verbum *provocare* accomodarent, quod scilicet obiectum suum requireret. *Integer* et *lacessitus* eadem ratione qua *provocare* (= lacessere) et *te ulcisci* inter sese respondent. *Improbos* mera est coniectura.

§ *36. non prudentium* om. 32., unde in eius archetypo *prudentum* scriptum fuisse conicio. Sic enim apparet cur illa verba interciderint *(dissipaTUM non prudeTUM).*

§ 40. *haec aetas* [*nostra*] *praeter te, Crasse .... iuris ignara est. Haec aetas* cum Carbonis aetati opponatur, quo Mucius non multo minor natu fuisse videtur (biennium enim inter utriusque consulatum intercessit), *nostra* a Mucio vocari non potuit. Delendum igitur *nostra*.

ib. (§ 40) scribendum puto: *tuo magis studio proprio, quam munere aliquo disertorum*. Cf. § 44: *non id mihi videbitur orator, sed Crassus, SUA QUADAM PROPRIA, non communi oratorum facultate posse.*—*Sua propria* etiam § 56, ubi fallitur Ellendt *propria* interpretem redolere dicens.

§ 48. *nisi ei qui dicet ea .... percepta SINT* 32, quod ita tuebimur, ut explicemus; *nisi ita ut ei qui dicet ea ... percepta sint*. Cf. Caesar B. C. 3,44,1: *neque munitiones Caesaris prohibere poterat, nisi proelio decertare vellet* et quae ad eum locum adnotarunt interpretes.

§§ 49 et 50 quae continentur ante 64 transponenda videntur. Hic enim sententiarum nexum interrumpunt totiusque disputationis ordinem turbant, cuius hic finis est ut demonstretur oratori necessariam esse doctrinam, sine qua dicendi virtutem extare non posse (48); verba enim sine sententiis effundere furiosi esse (51). Quae autem interponuntur (49. 50), in his alia de re disputatur: ceterarum artium homines, si quando de artificio suo diserte locuti sint, eam facultatem non ex sua arte hausisse, sed ex aliena i. e. ex dicendi arte adsumpsisse; qua de re inde a § 53 demum disputare Crassus orditur. Quod si §§ 49. 50 post 63 transposueris, praeclare inter se cohaerebunt sententiae. Nam §§ 49, 50 copiosius explicatur atque exemplis confirmatur quod § 63 extr. positum est: neminem. faciundae ac poliendae orationis ignarum diserte id ipsum, de quo sciat, posse dicere.

Reliquum est ut quomodo illa verba §§ 49 50 sedem mutarint explicandum videatur. Puto igitur, quae §§ quae nunc sunt 51—63 continentur in vetustissimo codice unam paginam explevisse*, quam littera A significemus. Quam cum librarius scripsisset et proximam (B) scribere coepisset, oculus a § quae nunc est 49 ad § 64 propter simile initium (Quam ob rem) aberravit. Quod cum postea animadvertisset verba omissa (§§ 49. 50) in margine paginae A adscripsit ea mente ut post finem paginae legerentur. Iam qui huius codicis exemplar, quod apographon vocant, conficeret, quae post finem paginae A describenda essent, ante initium eiusdem paginae ponenda existimans inepti ordinis auctor extitit.

§ 51. [*Quicquid erit igitur ..... inventor atque artifex*]. Haec si quis aut cum superioribus aut cum insequentibus ullo modo cohaerere putat ac non potius superiorum cum insequentibus artissimam dissolvere coniunctionem («necessaria oratori doctrina; nam verba sine sententiis funde re insani est [51]; neque ideo aspernanda doctrina, quod ad res forenses non pertineat; nam in his ipsis forensibus causis multa sunt, quae sine multarum earumque in alienis artificiis positarum rerum cognitione expediri non possunt [52]»), is nihil erit tam absurdum quin credat. Equidem non dubito quin magistello, cui debeamus, reddenda sint.

§ 52. ***Quis enim nescit maximE vim existere oratoris in hominum mentibus vel ad iram .... incitandis, vel ab hisce iisdem permotionibus .... revocandis? Maxime,*** quod unus 32

* certe codicis 32 singulae paginae totidem fere verborum ambitum continent.

servasse videtur, cum in ceteris libris ad insequens nomen *(vim)* accomodatum sit, vera est lectio. Cf. § 219: *quod ita dixisti* (hunc locum respicit Antonius) *neminem posse eorum mentis, qui audirent, aut inflammare dicendo aut inflammatas restinguere, CUM EO MAXIME VIS ORATORIS.... CERNATUR.*

Si quem adverbii quod est *maxime* collocatio offendit, conferat mihi II § 98: *quod ego maxime iudicare potui in ea causa* eqs.

§ *56. Set enim cum illi in dicendo inciderint loci. Set* habuisse videtur a prima manu 32, non *et,* rectissime. His enim et quae secuntur non confirmantur antecedentia, sed ei quod glorians Crassus dixit, se quae ad moralem et civilem philosophiam pertinent non mutuari a philosophis, sed tamquam e communi penu depromere, ipse opponit philosophorum opinionem, qui haec sua propria putent, ut eam § 57 refutet. Totius autem sententiae cardo in eo q. e. *propria* vertitur. Philosophi enim, quae Crassus *communia* cum eis sibi esse contendit, sua esse *propria* clamant. Ex his igitur apparet etiam dormitasse Ellendtium cum *propria* glossatoris esse suspicaretur.

§ *60. usu* abest a melioribus Lgg. nec necessarium est, immo vero, si quae § 59 extr. leguntur consideres, etiam ab hoc loco alienum. Quae enim hic enumerantur ad id explicandum pertinent, quod illic dictum est, multa esse oratori ex *obscuriore aliqua scientia* promenda. Vides igitur non *usum* hic, sed scientiam requiri. Cf. etiam § 66.

§ *67.* [*etsi haec quidem nosse debet orator.*] Cum mox § 68 eadem res suo loco copiosius atque accuratius exponatur, verba *etsi.... orator* hic prorsus inepte inse-

runtur. Illa quoque *hoc profecto* eqs. ad finem paragraphi a Cicerone abiudicare non dubito, quibus, quae artissimo sententiarum nexu coniuncta sunt *(forsitan.... communicarit. Sed si me audiet* etc.*)* aliena interposita sententia (de omni scientia, non de philosophia tantum, de qua et in antecedentibus et in sequentibus agitur) discerpantur. Addidit qui aliquid desideraret, quod eis quae sunt *ita pronuntiabit, ut.... videatur* et *teque hominem... superabit* responderet. Imperite. Quod enim de ceteris disciplinis dicitur, in eam philosophiae partem, quae de moribus est, non cadit. Cetera, si orator non didicerit, tamen cum a peritis quaesierit ornare poterit dicendo, hic de vita et de moribus locus *totus* oratori perdiscendus est.

§ 71. *in omni sermonis genere* 32, quae elegantior verborum collocatio anteponenda est vulgatae.

§ 72. *causam ipsam* 32, quod probo. Usitato enim verborum ordine converso, maiore quadam vi, quod h. l. sententia postulat («id ipsum, quod tibi subiratus erat, effecerat ut mihi minus esset familiaris»), pronomen effertur.

§ 73. *Non luctabor tecum, inquit, amplius, Crasse* 32, quae verborum collocatio, ut *inquit* a vocativo uno verbo vel pluribus separetur, frequentissima est in his libris. Velut I § 45 *non, sum, inquit, nescius, Scaevola.* Cf. §§ 80. 110. 122. 163. II, 71. 366. III, 132.

§ 76. *sed is, si quis esset aut si etiam umquam [fuisset aut vero si] esse posset.* Quae circumscripsi verba nugatoris sunt, non Ciceronis. Ait enim, qui haec infersit, si quis unquam (antea) fuisset, in quo omnium rerum scientia cum summa eloquentia coniuncta esset,

eum (qui antea fuisset) Crassum futurum fuisse. Putamusne haec, non dicam a Cicerone, sed ab homine sano pronuntiari potuisse. Quibus eiectis quae supersunt hanc optimam continent sententiam: si quis tum esset, cum hic sermo haberetur, aut etiam si ullo tempore esse posset, qui et omnia sciret et quae sciret ornatissime posset dicere, eum profecto ipsum Crassum unum futurum fuisse. «Nunc vero, addit Scaevola, cum Crassus is nondum sit, neminem neque nunc esse, neque unquam esse posse iudico.» Cf. etiam § 95 extr.

§ *79. esse videtur* 32, quod melius vulgato.

ib. verba *quae ego non attigi* non uno nomine inepta sunt. Primum enim se doctrinam non attigisse Crassus si diceret, ineptus esset, ut ipsius verbis (III, § 84) utar, cum et eos, qui aderant, aliter sentire sciret (cf. II, 364), et ipse postea (I § 154 eqs. III § 74) de suis studiis expositurus esset. Nam, quod idem Crassus modo dixit, sibi doctrinam defuisse, id non ita accipiendum est quasi nihil omnino didicisset, sed ita ut ipse III § 74 interpretatur, ubi de suis studiis in hunc modum loquitur: *Ego enim sum is, qui cum SUMMO STUDIO patris in pueritia DOCTUS ESSEM.... non possim dicere me haec, quae nunc complector, PERINDE, UT DICAM DISCENDA ESSE, didicisse.* Deinde si *doctrinam attingere* recte dicitur, *otium* et *studium dicendi acerrimum attingere* nemo dicit.

§ *83.* scr. *NAMQUE ipsam eloquentiam.* Hinc enim incipit argumentatio, qua Mnesarchus sententiam suam «oratorem, nisi qui sapiens esset, esse neminem» confirmare conabatur.

ib. eicienda sunt illa *easque.... pares* quippe quae ad Mnesarchi argumentationem nihil pertineant.

§ 87. *ut talis, qualem se ipse optaret, esse videretur* optime 32 i. e. talis esse videretur, qualem se ipse optaret *videri*. Cf. II § 176: *si vero adsequatur* (orator) *ut talis videatur qualem se VIDERI velit.* Nihil interest oratoris qualis sit, sed qualis esse videatur, nec virtutem ipsam, sed speciem virtutis sectatur.

§ 90. *adversarios MINA terrere* 32, unde in eius archetypo *minanter* fuisse conicio. Cf. § 93, ubi idem *perpugnantem* pro eo quod in ceteris libris est *perpugnacem* habet.

§ 93. *persuaderi* 32, quod vulgato non deterius.

§ 95. *paulum HUC aliquid poterit addere* 32 a prima manu optime. *Huc* est *ad hanc* (Crassi) *eloquentiam.*

§ 96. *inquit* om. 32. Cf. §§ 29. 100. 101.

§ 98. *Quod quidem si erit a Nobis impetratum* 32 i. e. si nos impetrarimus; quod mihi vulgato magis arridet.

§ 100. *Quoniam quod difficillimum nobis videbatur, OMNINO UT de his rebus, Crasse, loquerere, assecuti sumus, de reliquo iam* eqs 32, quae libenter amplector, maxime illud *omnino ut*, quod vox *omnino* in qua totius summa sententiae vertitur, principem locum obtinère debet.

§ 102. *Atque, inquit,* eqs. cum 32 si scripserimus, Sorofii nota (*Atqui:* Nun aber, scherzhaft [!] eqs.) aequo animo carebimus.

ib. cum *quid* omittat 32, archetypum eius habuisse videtur *si quid quis quaereret.*

§ 103. in. *quidem primum* 32 a prima manu, unde in eius archetypo *quod quidem primum* fuisse probabiliter conicere licet.

§ 104. *de HIS rebus* 32. Cf. paullo infra: *HUIC studio deditum.*

§ *106. qua nunc te uti vel maxime denique* (pro *decet neque*) *defugere* 32. Verborum collocationem probo.

§ *108. ut paulo ante deposuit Antonius* 32 et ceteri boni, pro quo editores reponere debebant *posuit* (ut factum est § 59, ubi eidem codices *deposuerunt* exhibent), non *exposuit*. Antonius enim § 92 rem non explicaverat sed paucioribus etiam quam Crassus verbis posuerat. Cf. II § 41.

§ *109. callidis et peritis* 32; quod ei quod vulgo editur *ac* ideo praefero, quod statim sequitur *animadversa AC notata.*

§ *111. vestrum* a 32 abest et recte abest. Ineptus enim Crassus esset, si se in eum sermonem, in quem alii, nondum praesente ipso, ingressi essent, incidisse videri postularet. Hoc enim significat *in sermonem VESTRUM incidisse.* Cf. ad Fam. IV, 1, 1. Nunc hoc dicit: se effecturum esse ut videatur non consilio, sed casu eo deductum esse ut sermonem de dicendi arte haberet; quod a veritate non abhorret.

§ *112.* si *posse*, quod in 32 a pr. m. extat, recte se habet, delenda sunt verba *esse ineptum id erat;* quae quidem minime sunt necessaria. Tum vero cetera omnia usque ad illud *constituit* ex eo q. e. *dicerem* pendebunt et parenthesis signa tollenda sunt.

ib. praestat quod est in 32 *hominem unum.*

§ *113. et ad cogitandum acuti* 32, non *excogitandum.* Cf. II § 355 «Tenere quae *didiceris* in accipienda causa quae ipse *cogitaris.*» Ex his locis apparet *cogitare* in arte eadem vi poni, qua *excogitare, invenire, reperire,* ut fallantur editores, qui § 18 *cogitatis* ita defendant, ut pro *perpensis* esse dicant.

§ *114. praeclare enim res se habeAt, si haec accendi aut*

commoveri arte possint, inseri quidem et donari ab arte non possunt. Sic esse scribendum duce 32, in quo *habeat* et *possit* legitur, particula *quidem* docet, qua Crassus illa ingenii bona ne accendi quidem arte facile posse significat. (Cf. § 170: *in hoc QUIDEM certe prope idem,* ubi particulae *quidem* vis haec est: «ut concedam, quod verum non est, aliarum rerum societatem poetae cum oratore non esse, in hoc quidem certe summa est.»). Qua in dubitatione coniunctivus suum locum obtinet.

§ *116. nemo fere* 32, quae verborum collocatio vulgatae fortasse praeferenda est, in qua illud *nemo* plus quam et necessarium est et veritas patitur effertur.

§ *125. certe* om. 32 nec prorsus necessarium est.

§ *133. Nunc enim* etc. Nexum orationis ad cotidiani sermonis libertatem accommodatae nemo adhuc, quod sciam, perspexit. Equidem sententiarum ordinem hunc esse statuo: «ut nobis explices, quoniam, quae a natura expetenda sunt, ea dicis non nimis deesse nobis, quid praeterea esse adsumendum putes ut, quicquid est istud, quod tu in dicendo potes (neque enim sumus nimis avidi, ista tua mediocri eloquentia contenti sumus), id nos adsequamur.» Hanc sententiam nisi, ut dixi, cotidiani sermonis liberiorem consuetudinem auctor imitaretur, sic expositurus erat: «ut nobis explices, quicquid est istud, quod tu in dicendo potes (neque enim sumus nimis avidi; ista tua mediocri eloquentia contenti sumus), ut id nos assequamur, quoniam, quae.... non nimis deesse nobis, quid praeterea assumendum putes.» Sed cum, propter tot verba *(quicquid est .... contenti sumus)* interposita, illa *ut nobis explices,* ex memoria eorum, qui audirent, elapsa viderentur, repetenda erat eadem sententia aliis

verbis (*idque ex te quaerimus*), quod quidem iam Matthiae* vidit. Eandem ob rem pro eo quod dicendum erat *ut id* (nempe: *quicquid est istud, quod.... potes*) *nos assequamur* dictum est: *ut NE PLUS nos adsequamur, QUAM QUANTULUM.... ADSECUTUS ES*, quae verba parenthesis signis non sunt includenda. Pertinent enim ad summam totius sententiae.

§ *134*. cum boni codices hoc loco lacunosi sint omnes (nam, quod 32 integer videtur, de hac re v. V. L.), standum est, opinor, recentiorum auctoritate, qui omnes fere *adhortandos* praebent, quod per se nihil habet quod displiceat.

§ *136*. *discendi* scribi iubebat Bakius, quod meditatio nihil esset nisi praeparatio ad dicendum, ut, quae meditandi, eadem dicendi causa agerentur. De qua re cf. Br. §§ 87. 88, ubi praeter *meditandi* etiam *commentandi* verbum eadem de re usurpatur. Sed *discendi* verbum hic non uno nomine displicet. Alia igitur corruptelae sanandae via tentanda est. Equidem pro *aut* scripserim *ac*, ut *meditari ac dicere* per notam figuram, quam ἓν διὰ δυοῖν vocant, dictum sit pro eo q. e. *dicendi causa meditari*.

§ *138*. scribendum cum L. 81, qui inter recentiores, quos hic quoque solos auctores habemus, unus proxime ad mutilorum praestantiam accedit, *et temporibus*. Paullo ante recentiores plerique, in his 81, *aut temporum*, quod vel, reponendum, vel si quis collatis eis quae II § 133 leguntur (*unum appellant, in quo sine personis ATQUE*

* V. eius disputationem «de anacoluthis apud Ciceronem» in Wolfii Analect. liter. II p. 8. Sed ne is quidem omnia in hoc loco satis recte expedivit.

temporibus de universo genere quaeratur, alterum quod personis certis ET temporibus definiatur) scribere malit *ac temporum*, me libente faciat. Nam particulas *aut* et *ac* confundi iam superiore adnotatione vidimus, et personae ac tempora rectius copulantur quam diiunguntur. Cf. quae ad § 190 monui.

§ *142.* tota haec § alienum in locum invasisse videtur. Cum enim de una iam eloquentiae parte, de inventione, locutus sit Crassus, quod pridem factum oportuit nunc demum eloquentiae partes enumerat; quo facto ad ceterarum partium praecepta exponenda transit (§ 143). Ita fit, ut, qui oratoris vim quinque partibus contineri dicat, unius ex his, dispositionis, nullam ipse rationem habere videatur. Quare cum tota haec eloquentiae partium enumeratio ante illa *esse omnem orationem*, ubi suo loco esset, sine alia mutatione transponi nequeat, reicienda est in marginem, unde in textum Ciceronianum malum pedem intulisse videtur. Qua sublata § 141 cum § 143 optime cohaerebit difficultatesque, quibus alterius huius § initium impeditum videtur, omnes tolluntur.

§ *144. apte atque decore* scripsit, qui in 32 mutilorum lacunam supplevit, quod vulgatae praefero, cum *quasi* hic defendi non possit. Nam quod ad h. l. Sorofius adnotavit *quasi* additum esse, quia *decorum* ab origine de re oculis percipienda poneretur, ea translatio communi sermone tam trita erat ut eam particula *quasi* mollire opus non esset.

§ *150. Stilus est optimus et praestantissimus* etc. scribendum puto duce Victore, cuius verba (Rhet. Lat. 444, 2) Stanglius attulit 'Ὁμοιοτήτων pag. 14. Is enim sic loquitur: «Stilus est, inquit M. Tullius, stilus optimus etc.»

Quo in loco ut alterum *stilus* a rhetore ornandi causa additum Stanglio assentior, ita *est* ciceronianum esse censeo.

ib. verba *neque iniuria* frustra tueri conatur Sorofius collato loco p. Sex. Roscio § 116: *in rebus minoribus fallere turpissimum est... neque iniuria,* ubi *turpissimum est* idem valet, quod *in summo dedecore ponitur,* ut extrema huius ipsius § verba docent *(maiores eum, qui socium fefellisset, in bonorum virorum numero NON PUTARUNT HABERI OPORTERE).* Cf. etiam §§ 111 et 114 eiusdem orationis.

§ *151.* scr. *qui modo insint,* ut § 179 *quae modo posset,* ubi citius quam hoc loco indicativum expectares.

§ *152.* recte Kayser post verba *oratio consequetur* eqs. semicolon posuit. Haec enim similitudo non ad totam de scribendi utilitate disputationem, sed ad ea tantum pertinet, quae a verbis *atque etiam si quando etc.* incipiunt. Haec autem verba a superioribus plena distinctione separanda sund. Novum enim argumentum continent, quo scripturae vis declaretur. Tantam, inquit Crassus, habet vim scriptura, ut non solum, qui diu multumque scriptitarit, si quando ex tempore dicat, ita dicat, quasi ex scripto dicat, sed etiam si quis aliquid scriptum domo attulerit, eo perlecto cetera ita dicat, quasi illa quoque recitet, scriptorum vi impulsus; ut in navigio fit, quod semel impetu capto, cum remigium cessavit, tamen aliquamdiu motum et cursum suum retinet. Ex his, quae dicta sunt, etiam *attuleris* et *discesseris* scribendum esse apparet. Neque enim hoc, ut scripto aliquo perlecto reliqua oratio per se ipsa ad illud accomodetur, ei tantum accidit, qui diu scriptitarit, sed cuivis.

§ *158.* interpretari et corrigere scriptores non est oratoris, sed grammatici. Itaque *interpretandi* et *corrigendi*

iure nostro delebimus, scribemusque *comprobandi*, quo ducunt quae § 257 leguntur: .... *et de alieno scripto subita vel laudandi vel vituperandi VEL COMPROBANDI vel refellendi causa disputatio* ....

§ *162. illam* om. 32 nec opus est.

§ *168. Quid? his paucis diebus* 32 omissa *in*, quam scripturam probo. Est enim i. q. *ante hos paucos dies*. Cf. II § 93: *hoc biennio* et Verr. IV § 39 *paucis illis diebus* (add. 140). *In his* alia vi ponitur.

ib. *ex disertorum numero* 32.

ib. *ne* om. 32, unde in eius archetypo *exceptioNE NE excluderetur* scriptum fuisse conicio.

§ *171. M.* om. 32 et melius abest.

§ *174. deridenda est arrogantia* habet 32, quae collocatio vulgata multo est efficacior. Eandem ob caussam delendum eodem duce *et* ante *cum*, quod non uno hoc nomine displicet.

§ *175.* Optime 32 *audeAt.*

ib. *cum miles* 32 omissis *domum* et *re-*, quibus facile caremus.

ib. *Nempe.* om. 32, videturque aliquis, verba Ciceronis *egissetque lege in hereditatem paternam* cum legeret, explicandi causa in margine adnotasse: *nempe testamento exheres filius*; quae postea inverso ordine in textum invecta sunt. Illa quidem *testamento exheres filius* nullo modo ferre possumus. Pugnant enim cum illis *quem pater testamento* .... *neque exheredem scripsisset nominatim*; quod quare Sorofius neget non intellego.

§ *178.* memorabilis nec spernenda forma *Auratae* extat in 32, qui tamen paullo post *Orate* exhibet.

ib. *quicquid fuisset in mancipio incommodi* 32, quae

elegantior verborum collocatio dubium non est quin in textum recipienda sit.

§ *179.* Adleri coniecturam, qui *simili in re quadam* omisso *modo* scribendum esse suspicatur, egregie confirmat 32, nisi quod *quodam* habet, quod ipsum altera manus in *quadam* mutavit.

§ *180.* cum a 32 *disciplina* absit, scribendum est fortasse *omnium et iuris civilis peritissimus*. Scriberem *prudentissimus*, nisi *prudentia* sequeretur.

ib. *heres esset* 32, quod vulgato non est deterius.

§ *181.* *cum propter invidiam* 32 omisso *eum*, quod pronomen nec opus est et elegantius abest.

§ *182.* tollendum comma post *consularis* ponendumque post *praesertim*. Nam ut nunc ab editoribus distinguitur mirum in modum ineptiens Crassus inducitur. Haec enim est eius ratiocinatio, qua vel maximas esse causas quae in iure versentur ostendere conatur: quaesitum esse olim num Mancinus civis esset, hanc autem contentionem maximam fuisse cum alias ob causas, *tum praesertim* quod in iure consisteret. Ita ex eo quod illa causa in iure versata est conficitur maximam eam fuisse, hinc autem causas quae in iure versentur saepe maximas esse concluditur. Qui merus est φαῦλος κύκλος. At si, ut ego suadeo, distinxeris, omnia rectissime procedent. «Maximae, inquit Crassus, saepe in iure versantur causae. Exemplo est Mancini causa, in qua de ordine, de civitate, de libertate hominis quaesitum est; at cuius hominis *(=praesertim)!* consularis. Haec autem *(=cum)* causa non in facto, sed in iure civili consistebat. De adverbii *praesertim* positura cf. de Off. 2 § 52: *facilior est haec posterior* (beneficentia) *locupleti praesertim*.

§ *185. ipse soleret dicere* 32, qua verborum collocatione *soleret* effertur, quod loci sententia postulat. Ob id ipsum enim quod non semel, sed saepe *(=soleret)* facillimam esse Scaevola iuris cognitionem dixerat, ausus est Crassus illo audiente eandem sententiam pronuntiare. Simili de re II § 32: *Non audeo dicere de talibus viris, sed tamen ita SOLET NARRARE Scaevola.*

§ *186. generatim,* quod a 32 abest, interpretem sapit. Idem exhibet *digestam,* pro quo *digestim* scriberem, si hoc adverbium meliore auctoritate niteretur quam Prudentii est.

§ *187. ignota,* quod libri exhibent, mutandum non est, sed mox pro eo q. e. *videbantur* scribendum *vagabantur.* Cf. 3, 176: *ut verba neque adligata sint quasi certa aliqua lege; neque ita soluta, ut VAGENTUR*; quibuscum componenda sum quae infra § 188 leguntur: *adhibita est igitur ars .... quae rem DISSOLUTAM divolsamque conglutinaret et ratione quadam CONSTRINGERET.»*

§ *188. quaedam* recte om. 32. Est enim hic *ars* ἡ τέχνη. Graece sic fere interpreteris: ἔξωθεν οὖν ἐξ ἄλλου του γένους ἡ τέχνη προςεγένετο.

§ *189. Genus autem id est* 32, quae collocatio vulgata magis placet.

§ *189.* post *revocanda* et *partis* media distinctio ponenda. Ut enim nunc in editionibus distinguitur, verba *omniaque .... exprimendum* cum illis *partes autem .... subiciuntur* arte iunguntur et ab eis quae sunt *tum sunt... revocanda*, quibuscum componi debebant, divelluntur; quae res totam Crassi sententiam pervertit; cuius sententiae tria sunt quasi capita, unum de iuris civilis universi definitione *(sit ergo .... conservatio),* alterum de ge-

nerum notatione *(tum sunt.... revocanda)*, tertium de singulorum generum et partium definitione. Horum autem capitum alteri illa *genus autem.... subiciuntur*, quibus quid genus, quid pars sit explicatur, tertio illa *est autem* (sic enim scribendum pro *enim*).... *quaedam explicatio*, quibus quid sit definitio exponitur, adiunguntur.

§ *190. quam difficilem atque obscuram* 32, quod propterea probo, quod, cum par verborum pari opponitur ita ut alterum ponatur, alterum negetur, in hoc altero particula *atque* legitima est. Cf. quae ad § 138 adnotata sunt.

§ *191.* indoctam Ernestii coniecturam *cogantur* miror doctissimos homines Kayserum Sorofiumque amplexatos esse; quos vel e lexicis exempla docere potuerunt praesens hic rectissime se habere. Velut illud Terentianum (Hauton timor. 833): *Tu hic nos DUM EXIMUS INTEREA opperibere.* Sorofius vero indoctam coniecturam indoctiore etiam adnotatione confirmare studet. Ait enim indicativum hic aptum non esse, quia «nicht gesagt ist dass sie (die wissenschaftliche Bearbeitung der Iurisprudenz) schon ausgeführt werde.» Quasi in Terentiano exemplo Syrus exiens illa dicat ac non intrans ut paullo post exeat.

ib. *omnium* om. 32 L[1] recte. Nimium enim laudis Aculeoni tribui videtur, si *omnium* acutissimo esse ingenio dicatur.

§ *193. haec* ante *Aeliana* om. 32 neque opus est.

§ *194. honoribus, praemiis, splendori*, quibus virtus decoratur, satis concinne *damna, ignominia, mors* opponuntur, quibus rebus vitia multantur. *Vincla, verbera, exilium*, quae iam in *damnis* continentur, ab inepto grammatico adiecta sunt.

§ *205.* mallem *nam nunc QUIDEM quibus* eqs.

§ *207.* revocanda est Manutii coniectura *quid sentias intellegemus.* Cf. § 207: *quid iis de rebus, quas a te quaeri vides, SENTIAS,* ubi itidem in uno codice verborum *vides* et *sentias* inversus est ordo. Quod autem Adlerus traditum verborum ordinem collatis illis II § 298 *dicam equidem quid intellegam* defendere conatur, vehementer fallitur. *Quid intellegam* enim non est illic: quae sit de hac re mea sententia, was ich darüber meine, sed: quae meis verbis sententia subiecta sit, was ich damit meine; quae verbi vis ab hoc loco prorsus aliena est.

§ *208.* Scrib. *responderim. Cum* enim particula non est hic temporalis, sed causalis, totumque enuntiatum *cum .... responderit* respondet illi *qui ex me ea quaesieritis.*

§ *216. Qua re non ET SI* libri aliquot, cum in ceteris *etsi* coniunctim scribatur, quam lectionem editores partim secuntur, partim Lambino duce *si* legunt. Frustra. Nam illa scriptura rectissime se habet; respondent enim inter sese *NON ET SI eloquentissimus .... Pericles* etc. et *nec si P. Crassus etc.,* quo altero loco leve fit ἀνακόλουθον, cum pro *et si* negatione abundanter repetita *nec si* dicitur.

§ *219. rationes* Sorofius explicat: Anschauungsweisen, Grundsätze. Sed ipsius Crassi verba, quae Antonii oratio respicit, haec sunt (§ 53): *nisi qui naturas hominum vimque omnem humanitatis CAUSASQUE EAS, quibus mentes aut incitantur aut reflectuntur penitus perspexerit, dicendo quod volet perficere non poterit.* Quam Crassi sententiam Mucius repetens his verbis utitur (§ 165): *quae cognoscenda esse dixisti de naturis hominum, de moribus DE RATIONIBUS iis, quibus hominum mentes et incitarentur et reprimerentur eqs.* Cf. etiam 87. Ex his locis cum quo

modo hic *rationes* intellegere debeamus, tum etiam lacunosam esse orationem post id vocabulum apparet, lacunamque ad eorum locorum similitudinem explendam esse. Nec tamen celabo § 60 *(earum omnium RATIONUM, quae de naturis humani generis ac moribus a philosophis explicantur)*, ubi eadem sententia exponitur, *rationes* alio quodam modo accipi oportere, h. e. de philosophorum placitis. Utut res se habet, illud certum est et locum lacunosum esse et Sorofii explicationem eius q. e. *rationes* a probabilitate abhorrere.

§ *226* extr. Mihi dubium non est quin illud *potestatem* interpretamentum sit eius q. e. *habenas*. Sane et supervacaneum est et eo addito perit orationis venustas, quae in verbis translatis omnis est posita.

§ *234. video quid egeris; tum cum dicebas videbam.* Nondum mihi persuadent interpretes haec sana esse putoque *videbam* ab eo esse profectum, qui illud *video* perfecti vim nonnumquam accipere (velut II, 43: *id enim VIDEO poni genus tertium*) cum nesciret, miratus sit Antonium nunc primum se videre dicere quod iam pridem videre potuisset. Quo verbo eiecto cetera, oratione sine distinctione continuata *(video quid egeris tum cum dicebas)*, optime procedent, neque illa *tum cum dicebas* sua vi carebunt. Hoc enim dicit Antonius, Crassum non *semper* eadem de iure civili sensisse, sed *tum cum* diceret praesentis Mucii honoris causa iuris cognitionem praeter animi sententiam extulisse.

ib. *te* subditicium mihi videtur. Nam χαρίζεσθαί τί τινι, quam notionem hic sententia postulat, non est *dare se alicui* sed *dare (aliquid) alicui*, ut et alibi legitur et pro Sulla § 45: «permitto aliquid iracundiae tuae, *do* adu-

lescentiae, cedo amicitiae, tribuo parenti.» Nam quem locum Bruti § 306 Sorofius adscripsit huc minime pertinet.

§ *235.* hic quoque tollendum emblema *(concesso)*, quod tam concinnam sententiam, in qua verbum verbo respondeat (*novo — tradito = alieno — suo*), turpiter corrumpit. Est autem ab eo additum, qui propter interpositum illud *eam* non intellexisset particula *et* verba *suo* et *tradito* iungi, quo modo etiam III § 131 eadem verba componuntur. Similem errorem recentiorum interpolatorum, quorum manu integri codices, quibus hac primi libri parte solis uti licet, descripti sunt, iam § 60 deprendimus.

§ *239* seqq. Duo folia vel paginae sedem permutasse videntur. Nam si post verba: *Quaero igitur quid adiuverit oratorem in his causis iuris civilis scientia, cum hic iuris consultus superior fuerit discessurus, qui esset non suo artificio, sed alieno, hoc est non iuris scientia, sed eloquentia sustentatus* illa legas (§ 242 b.): *nisi vero .... Scaevolae tu libellis .... causam M' Curii defendisti, non adripuisti patrocinium aequitatis* eqs. usque ad finem § 245, egregia erit sententiarum cohaerentia. His subicienda sunt illa (239 b): *Equidem hoc saepe audivi* eqs. usque ad finem § 240, quibus. exemplo confirmatur illa, quam §§ quae nunc sunt 243—245 Antonius exposuerat sententiam, Crassum vel ad illas causas, quae totae in iure civili positae viderentur, non ex Ictorum libellis, sed ex oratorum apparatu argumenta deprompturum fuisse. Post haec legantur §§ 241. 242 a (usque ad illa *viribusque torquebit*), quorum priore, postquam superioribus (*Nam quod maximas* [238]... *sustentatus* [239 a]. *Nisi vero* [242 b].... *scriptum videre-*

tur [245]. *Equidem* [239 b].... *veram videri* [240]) demonstratum est in eis causis, quarum ius sit controversum, nihil oratori prodesse iuris civilis scientiam, iam eae causae considerantur, de quarum iure dubium non est, quae cum omnino in iudicium non veniant, efficitur ne harum quidem causa oratori opus esse ius civile perdiscere; posteriore autem superioris illius de controversi iuris causis disputationis summa breviter repetitur, totaque haec disputatio, qua iuris civilis cognitionem oratori necessariam non esse Antonius docet, apte concluditur

§ *246. quae*, quod Sorofius Kayserum secutus circumscripsit, optime defendit Matthiae in Seebodii Miscellaneis Criticis I. p. 678. Sed, ut hic Sorofii rationem non probo, ita eidem infra Ernestii aliorumque coniecturam *in quo* (pro *in qua*) amplectenti assentior; ad quam confirmandam afferre potuerat illa: *in quo nostri omnino melius multo* (§ 253).

§ *247. equidem putabam virtutem hominibus si modo tradi* [*ratione*] *possit, instituendo et persuadendo, non minis* [*et vi*] *ac metu tradi.*

Hic locus, si quis alius, documento est quam foedis interpolamentis inquinati sint integri horum librorum codices. Quis enim nisi male sanus talia effutire potest: virtutem si tradi *ratione* possit, *ratione* (hoc est enim *instituendo et persuadendo*), non vi tradi. At haec Ciceronem dicere potuisse facile credunt editores, nec vident *ratione* et *vi* ab eo adscripta esse, qui, quas binis verbis scriptor diremisset notiones (*instituendo et persuadendo* — *minis ac metu*), singulis eisque ad philosophorum dicendi rationem magis accomodatis (*ratione* — *vi*) exprimi posse ostendere vellet. Illud quoque ineptissimum est, qui

num *ratione* virtus tradi possit dubitet *(si modo)*, eundem *ratione* eam tradi putare. Immo Antonii sententia haec est: esse omnino dubium num virtus tradi possit ac non potius naturae sit donum; quodsi illud verius sit, eam nullo alio modo nisi instituendo et persuadendo tradi posse, non minis ac metu, ut Crassus censere videatur, qui *damnis, ignominia, morte,* quibus hominum vitia legibus multentur, viros bonos fieri dicat.

§ *248. quas in iure possET defendere* Lag. 81, qui integrorum codicum, quibus hoc loco solis uti licet, optimus est. Quae scriptura coniecturam, quam ἐν τῷ 'Αθηναίῳ (IX, p. 305) olim proposui *(quas in iure posITAS defenderEM)* egregie adiuvat. *Causae in iure positae* appellantur § 238 civiles controversiae.

§ *251. ante condemnentur ii, quorum causas receperimus, quam totiens quotiens praescribitur Paeanem aut Nomionem citarimus.*

Sic libri, nisi quod pro eo q. e. *Nomionem,* quae Talaei est certissima emendatio, *munionem* praebent. Loci autem sententia, quam nemo, quod sciam, interpretum satis perspexisse videtur*, egregie illustratur Horatianis illis (Sat. II, 3, 6. 7.)

. . . . . . si collibuisset, ab ovo
usque ad mala *citaret* '*io Bacche,* modo summa
voce, modo hac, resonat quae chordis quattuor ima.

Quorum postrema *(modo summa* eqs.*)* ciceronianis illis respondent: *cotidie .... vocem cubantes sensim excitant, eandemque .... sedentes ab acutissimo sono usque ad gravissimum sonum recipiunt*; priora autem quid sit illud *Paea-*

* Sensit tamen verum Klotzius. V. eius Lexicon ad. v. citare.

nem aut Nomionem citarimus apertissime docent. Ut enim Tigellius *ab imo* usque *ad summum* sonum voce paullatim ascendente et contra ab hoc ad illum descendente Ἰὼ Βάκχε clamabat, sic isti tragoedi cotidie toties, quoties praescriptum erat, vocem sensim vel excitabant vel recipiebant Ἰὼ Παιὰν vel Ἰὼ Νόμιε clamando; qua de re *citandi* vocabulum in arte legitimum fuisse videtur*. *Paean* igitur et *Nomio* (cf. N. D. III § 23, ubi libri omnes *Nomionem*) sunt hic Apollinis appellationes, non carminum genera, ut putant interpretes; qui mihi homini in musicis rudi, at auribus non carenti, ostenderent vellem, quonam modo fieri possit ut vocem a gravissimo ad acutissimum sonum excitantes vel contra ab hoc ad illum rècipientes Paeanem canamus, cum, sicut in omni carmine, ita in Paeane quoque acuti et graves soni certam ac legibus carminis definitam sedem occupent, quam ex libidine canentis permutari non liceat, quod tamen faciendum sit ei, qui illo exercitationis genere utatur. Ex his eos quoque errasse apparet, qui pro eo q. e. *munionem* scribendum esse *nomum* vel *hymnum* censuerunt.

§ 252. *spatii,* pro quo in nonnullis libris *spatium* extat, genuinum non videtur. Multo enim planior hoc eiecto fit oratio. Tantum, inquit A., assequi possumus, *quantum datur* (i. e. assequi licet) *in hac acie* eqs.

ib. ad fin. post *peritis* excidisse videtur *peti.* Nam *depromere a peritis* mira est locutio.

§ 258. *quod ego* eqs. *Quod* Sorofius esse putat i. q. *qualis actio sit,* quod ex superioribus eliciendum sit. At hoc

* Apud Livium (45, 38) est ciere triumphum nomine pro eo q. e. clamare io triumphe.

durissimum est. Praeterea in his non de universa actione, ut in eis quae adhuc dicta sunt, sed de voce tantum agitur. Praestatigitur post *adhaerescere* aliquot verba excidisse statuere, quibus ab eis quae in universum nimiis Crassi de actione postulatis opponuntur ad ea transitur quibus quam idem de voce sententiam pronuntiaverat infirmatur.

§ *261.* Quin scribendum sit *neque iD consistens in loco,* i. e. idque faciebat non consistens eqs., nemo monitus dubitabit.

§ *262. Hisce ego cohortationibus .... incitandos iuvenes vehementer assentior* codices. Bakius pro eo q. e. *assentior* reponendum esse *censeo* putabat, quod neque antea quidquam de incitandis iuvenibus Crassus dixisset et *assentiri* accusativum cum infinitivo non regeret. Quorum argumentorum alterum leve est, ut iam Ellendtius monuit; gravius illud prius; nec tamen *assentior* loco movendum, sed pro *incitandos* scribendum est *incitanti,* quod re vera Crassus fecerat (cf. § 134).

Huc adiciendi sunt quos ἐν τῷ 'Αθηναίῳ (Vol. IX pag. 301—306) ex primo libro locos tractavi. Sunt autem hi: § 38 delevi *quam adiumenta;* § 61 scripsi *scientiA;* § 82 sic correxi: *Nam egomet, qui sero ... attigissem, tamen cum ... venissem Athenas — complures AUTEM ibi dies sum .... commoratus —, sed cum cotidie mecum haberem homines doctissimos, ... pro se quisque.... de officio ae ratione oratoris disputabat;* § 114 scripsi: *conformatio quaedam ORIS ET TOTIUS CORPORIS FIGURA ;* § 205 *confiteAre;* § 208 *in eis*

causis quas in iure posITAS defendereM; § 263 *cuius.... facultatis exercitatio NON oratoris propria est.* Rationes autem, quibus hae coniecturae confirmentur cognoscere si quis vult illuc delego.

CORRIGENDA

Pag. 2 v. 4 post subieci pone commà.
» 3 v. 6 » semidocti » »
» 4 v. 16 pro xurum scr. aurum
» 28 v. 4 (a fine) quod siglum est, typotheta finxit, cum vocabuli quod notissimum compendium, quod primum est apud Wattenbach (Anl. z. Lat. Pal. pag. 66), exprimere conaretnr.

Pag. 34 v. 7 verba Quam ob rem acclinibus litteris scribenda erant.

ib. v. 19 pro funde re scr. fundere

Pag. 37 v. ultimo pro Mnesarehi scr. Mnesarchi
» 38 v. 20 post omnino pone comma.
» 39 v. 17 pro deductuM scr. deductuS
» 40 v. 5 pro 170 scr. 70
» 16 v. 2 (a fine) dele comma post explices
» 41 v. penultimo dele comma ante reponendum et pone post alterum vel

Pag. 43 v. 17 pro sunD scr. sunT
» 44 v. 11 (a fine) tolle punctum post Nempe
» 46 v. 6 pro § 32 scr. § 22
» 48 v. 2 pro § 207 scr. § 206
ib. v. 4 (a fine) pro Muėius scr. Mucius.

ΕΝ ΑΘΗΝΑΙΣ

ΕΚ ΤΟΥ ΤΥΠΟΓΡΑΦΕΙΟΥ ΑΝΔΡΕΟΥ ΚΟΡΟΜΗΛΑ

ΚΑΤΑ ΜΗΝΑ ΙΑΝΟΥΑΡΙΟΝ 1884

Β',—661

[redacted]